

DE

LATINITATE FALSO SUSPECTA

SCRIPSIT

EDUARDUS GÜTHLING.

PH. DR. AA. LL. M.

1863.

DE

LATINITATE FALSO SUSPECTA

SCRIPSIT

EDWARD GIBBONS

PH. D. D. M.

1803

Jeder Antibarbarus, auch nach Krebs, muss willkommen heißen, so lange der Brauch des Lateinschreibens im literarischen und öffentlichen Leben noch nicht ganz abgeschafft und das Latein nur eine todte, noch keine untergegangene Sprache ist; denn jeder, auch sein erklärtester Gegner, muss doch wünschen, dass alles, was Latein sein soll, auch wirklich Latein sei.

L. Döderlein, (Oeffentl. Reden. 1860. S. 329.)

Priusquam veniamus ad ea, quae hoc loco atque hoc tempore disputare instituimus, pauca de consilii nostri ratione videntur esse dicenda.

Magnum igitur nuper damnum factum est in Krebsio. Qui quam magna linguae latinae discendae hominibus suis attulerit adiumenta, quis, qui quidem eius rei studiosus sit, nesciat? Testis est liber ille, quo praecepta latine dicendi continentur, testis liber ille, qui inscribitur Antibarbarus linguae latinae. Ego quidem non solum fateor, verum etiam libenter profiteor, me Antibarbaro illo pervolutato cum scientia auctum, tum etiam magno quodam studio incensum esse investigandi, quales optimi latinitatis auctores in verbis eligendis, collocandis, devinciendis sententiisque conformandis fuissent. Neque facile dixerim, qui liber Antibarbaro illo utilior aptiorque sit ad puram emendatamque orationem. Quamquam autem in Krebsio, qui habitabat in hoc genere literarum, admirabilis linguae latinae fuit cognitio atque scientia, tamen in tanta rerum copia ac difficultate vix potuit fieri, quin multis locis erraret. Itaque homines docti Antibarbarum adnotando emendatiorem efficere coeperunt. Quo in numero sunt Poppo, Schneiderus, Allgayerus aliique plures. Sed cum etiam nunc in illo libro inesse videantur, quae minus recte tradita praeceptaque sint, nobis quoque placuit, emendationi libri utilissimi pro parte virili consulere. In quo magno opere dolumus, quod hominum doctissimorum, de quibus supra dictum est, libros ex aliqua modo parte inspicere nobis licuit. Itaque si quo loco rem actam egerimus, legitimam, ut videmur, vel ignorationis vel necessitatis excusationem habebimus. Nunc ad rem institutam veniamus.

A. A. Praepositionem ab ante ea vocabula, quae ab litera M. ordiantur, Krebsius scribi non vult. At vero Caesar scribere non dubitavit. Cfr. Caes. de bell. gall. VII. 52 extr. . . . ab milite . . . de bell. civ. I. 35. in . . . ab Massiliensibus . . . Similiter Liv. IX. 43. 6. Ab Mam. Aemilio . . .

Aestimare. Huic verbo adverbia coniungi falso a Krebsio negantur. Cfr. Caes. de b. g. VII. 14. extr. *Haec si gravia aut acerba videantur, multo illa gravius aestimare, liberos, coniuges in servitutem abstrahi . . .* Cic. Acc. in Verr. IV. 16. 35. *Jussit Timarchidem aestimare argentum, quo modo qui unquam tenuissime in donatione histrionum aestimavit.*

Abdicare. Abdicare consulatum est apud Liv. II. 28. 9.

Adducere. Recte scribi: *adducor, ut credam, Larcium . . . fuisse*, Livius testis est. Cfr. Liv. II. 18. 6.

Agere. In nomine agendi non esse vim ac significationem disputandi vel disserendi Krebsius censet. In quo, ut videtur, fallitur. Quamquam enim hoc vocabulo longe saepissime ita usi sunt, ut ad disputantium disserentiumque sermones referretur, tamen eius vis ac natura latius patet. Superioris generis huius modi exempla sunt. Cic. tusc. disp. V. 40. 118. *Multa primo die, cum de ipsa morte quaereremus, non pauca etiam postero, cum ageretur de dolore, sunt dicta de morte.* Cic. de sen. 18. 64. *Multa in nostro collegio praeclara, sed hoc, de quo agimus, inprimis. . . .* Cf. Cic. de nat. deor. I. 7. 17. II. 1. 3. tusc. disp. II. 3. 9. Brut. 6. 24. de fin. I. 22. 57. tusc. disp. I. 29. 70. Sed alia est ratio locorum, quos infra scripsimus. Cic. de off. II. 3. 9. *Hoc autem, de quo nunc agimus, id ipsum est, quod utile nominatur.* Cic. Brut. 72. 251. *Et hercule, si sic ageres, ut de iis egisti, qui iam mortui sunt. . . .* Cic. de imp. Cn. Pomp. 16. 47. *De huius autem hominis felicitate, de quo nunc agimus . . .* Liv. X. 31. *Bella, quae continua per quartum iam volumen . . . agimus.* Liv. VI. 27. . . . *ubi audiant vocem tribuniciam de levando foenere et sine aliarum iniuriarum agentem.* His locis, si placet, adde, Cic. de off. II. 10. 35. *Jam videtur apparere, vocabulum agendi non solum ad ea referri, quae colloquiis disputantur, sed etiam ad ea, quae continenti oratione explicantur. Ipse Krebsius se pugnancia esse locutum, non sensit. Ea enim, quae in vocabulis Sermonis et Tractandi disputavit, quo modo consentiant cum iis, quae de vi usuque verbi agendi praecepit, non video.*

Alius. Alii, si Krebsium sequere, nunquam eadem est vi ac significatione, qua ceteri. In quo Livii quidem orationem consuetudinemque plane neglexit. Cfr. Liv. I. 7. 3. *Sacra diis aliis albano ritu, graeco Herculi facit.* Liv. I. 9. 12. I. 12. 9. I. 41. 5. I. 42. 2. II. 23. 6. II. 23. 10. II. 23. 15. XXI. 46. 9. Neque Livius saepissime non scripsit. alius-quam, ut XXI. 2. 6. XXIII. 4. 4. Ne Cicero quidem in Verr. I. 9. 24. scribere veritus est: --- *ne aliter quam ego velim, meum laudet ingenium.*

Alter. Liv. I. 17. haec habet: *Nemo alteri concedere in animum inducebat.*

Annumerare. Hoc verbum nisi dativo non iungi falso Krebsius existimat. Cfr. Cic. pro Rosc. Am. 32. 89. *Verum ego forsitan propter multitudinem patronorum in grege adnumerer.* Cic. Brut. 19. 75. *Tamen illius, quem in vatibus et Faunis adnumerat Ennius, bellum punicum quasi Myronis opus delectat.*

Aetas. Hoc vocabulum ad homines saepe referri non negatur a Krebsio, sed dubitat

num Cicero ita fecerit. At vero fecit. Cf. Cic. de off. I. 34. 122. *Maxime autem haec aetas a libidinibus arcenda est.* Cic. de sen. 14. 46. Brut. 55. 201. de or. I. 10. 40. in Verr. V. 52. 137. de div. I. 19.

Adipisci. Male scribi: gloriam apud aliquos adipisci, consequi, assequi pro: ab aliquo, non facile concesserim. Cf. Cic. tusc. desp. V. 3. 7. *Sapientia . . . hoc pulcherrimum nomen apud antiquos assequatur.* Cic. de or. I. 25. 117. *Quis Varium non intelligit, magnam esse in civitate gratiam consecutum?* Cf. Nep. Them. 6. 3. Similiter Caes. b. g. VI. 21: *Qui diutissime impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem* et Liv. IV. 57: *cum laudem apud omnes tulisset . . .* Quamquam Caesari illo loco: ab suis et Livio ab omnibus scribere licuit.

Addere. Locutio Adde, quod Krebsio improbat. Est apud Liv. IX. 19. *Adde, quod Romanis ad manum domi supplementum esset, . . .*

Auferre. Haud cunctanter, ipso Cicerone auctore usus scripserim: auferre alicui aliquid. Cf. Cic. in Verr. IV. 29. 67. *Id sibi Verrem abstulisse.* Cic. in Verr. I. 7. 20 . . . *ut alter dies amicis istius ac defensoribus spem victoriae auferret.* Cic. l. l. I. 34. 86. *Quid Milesiis lanam publicam abstulerit, . . . dicere praetermittam.* Cic. de off. II. 24. 85. *Ab hoc igitur largitionis genere, ut aliis detur, aliis auferatur. . . .* Adde Livium. Is III 67 haec: *Auferte honorem indignis.* Cf. II. 56. 3. VIII. 31. 4. IX. 9. 11. XXI. 62. 5. XXIII. 44. 3. XXIII. 45. 8.

B. Bellum. Bellum finire nec Caesar nec Livius scribere dubitavit. Itaque quid sit causae, cur Krebsius scribi nolit, non video. Cfr. Caes. b. c. III. 51. Liv. VI. 19. XXIII. 12. XXV. 32. XXX. 1. XXXIV. 1.

C. Continere. Krebsius scribendum censet: contineri aliqua re, non in aliqua re. Sed videamus aliquot locos Ciceronis. Is (de off. I. 35. 126) haec: *In his autem tribus continetur cura etiam illa, ut probemur iis, quibuscum apud quosque vivimus.* Cic. de off. I. 43. 153. *Sapientia, quam principem dixi, rerum est divinarum atque humanarum scientia, in qua continetur deorum et hominum communitas et societas inter ipsos.* Cic. de div. II. 1. 3. *Tres libri perfecti sunt de natura deorum, in quibus omnis eius loci quaestio continetur.* Cf. Cic. in Verr. IV. 27. 60. Liv. XXXIX. 13. in . . .

Congregare. Licere scribere: congregari in aliquo loco ipse, Cicero satis magno argumento est. Cf. Cic. de div. I, 41. in. *Magi, qui congregantur in sano commentandi causa. . . .*

Consentire. Consentire aliquid est apud Livium. Cf. Liv. VIII. 6. *Consensit et senatus bellum.* Liv. I. 32. *Bellum erat consensus.* Simili brevitate studio factum est, ut Caecar (b. g. VII. 77.) censere eruptionem, Livius (X. 12. VI. 14. VIII. 29. XXI. 10) bellum censere, bellum iubere, legationem decernere scribere non dubitaret. Idem (IV. 11) nullo iure nulloque exemplo, quod sciam, scripsit: *Consenserant autem, ut nec ager ullus divideretur . . .*

Cervix. Livius quidem hoc vocabulo longe saepissime ita est usus, ut singulariter diceret, non pluraliter. Cfr. Liv. XXII. 51. 7. ibique Fabrium.

Concurrere. Huic verbo praepositiones ad et in addito accusativo iungi, recte praecipit Krebsius, sed Livius hoc praecepto non stetit. Is VIII. 23. haec: *Ager campanus, in quo*

concurrendum est . . . XXI. 5. *Medio alveo haud quaquam pari certamine concursum.*
XXI. 57. *Magis agmina, quam acies in via concurrerunt.*

Causa. Ego quidem non dixerim, in vitio esse, qui scripserit: Nihil est causae, ut . . . Cf. Liv. V. 55. extr. *Ea est causa, ut veteres cloacae, primo per publicum ductae, nunc privata passim subeant tecta.*

Consumere. Cum Livius, tum Caesar testis est, licere scribere: consumere tempus aliqua re. Cf. Caes. b. c. II. 23. *Biduo et noctibus tribus navigatione consumptis appellit ad eum locum.* Liv. XXIII. 7. extr. *Hannibal visenda urbe magnam partem diei consumpsit.* Caes. b. g. V. 31. *Consumitur vigiliis reliqua pars noctis.* Liv. III. 62. *Reliquum diei apparandis armis consumptum est.* Cf. Liv. V. 21. s. f. Idem XXXIX. 5. audacissime haec: *Senatus pontificum collegium consuli iussit, num omne id aurum in ludos consumi necessum esset.*

D. Dimicare. Pedibus dimicare utrum recte scribatur, nec ne, non satis liquet. Sed credibile est licere ita scribere. Audiamus Caesarem, auctorem locupletissimum. Is (b. g. IV. 22) scripsit: *Saepe ex equis desiliunt et pedibus proeliantur.* Cf. Caes. b. g. V. 16. *Ex equis desiliunt et pedibus dispari proelis contendunt.* Caes. b. g. IV. 33. *Ex essedis desiliunt et pedibus proeliantur.* — His locis consideratis non facile dixeris, falso scribi: pedibus dimicare.

Dividere. Dividere aliquid inter . . . saepissime Livius scripsit. Cur illa locutio Krebsio displiceat, non video. Cf. Liv. XXI. 17. *Inter consules ita copiae divisae.* Liv. XXIII. 19. *Aequaliter inter omnes copiae divisae.* Similiter Sallustius (Cf. Jug. 16) haec: . . . *ut legati regnum inter Jugurtham et Adherbalem dividerent.*

Desiderare. Krebsius vehementer errat, sic statuens, desiderare aliquid ab aliquo non esse optimorum latinitatis auctorum. Ciceronem ita scribere solitum est, iam pridem Allgayerus*) demonstravit. Pari modo Caesar (b. g. VII. 52.) *Nec minus se ab milite modestiam et continentiam, quam virtutem et animi magnitudinem desiderare.* Cf. Caes. b. g. VII. 20. 4. Cic. de or. I. 35. 164.

Decedere. Nihil necesse esse scribere decedere alicui de via, ex Caes. b. g. VI. 13. intelligitur, ubi haec Caesar: *His omnes decedunt*

Disquisitio. Hoc vocabulum, ut Krebsio placet, ad iudicia pertinet. Non est ita. Cf. Liv. VIII. 23. *Nec tamen ab dictatore comitia sunt habita, quia, vitio creatus esset, in disquisitionem venit. Consulti a uigures vitiosum videri dictatorem pronunciaverunt.*

E. Exemplum. Exemplum capere ab aliquo est apud Liv. I. 49. Item: exemplum sumere ab aliquo est apud Cic. de imp. Cr. Pomp. 15. 44.

Et. Imperativus loco enunciationis conditionalis positus non solum adverbio iam, sed etiam adverbio tum, verbo finito sententiae primariae coniungitur. Neque verbum finitum *ἀσυνδέτως* non additur. Cf. Cic. tusc. disp. I. 13. 29. *Quaere, quorum demonstrantur sepulcra in Graecia, reminiscere, quae traduntur mysteriis, tum intelliges . . .* Cic. in Cat. I. 4. 8. *Recognosce mecum noctem illam superiorem, iam intelliges . . .* Cf. praeterea Cic. Brut. 17. 68. in Verr. IV. 52. 115. V. 65. 168. pro Rose. Am. 16. 48.

*) Bemerkungen zu Krebs Antib. Ehingen 1841.

de imp. Cn. Pomp. 13. 38. Verbum finitum ἀσυνδέτως additum est his locis: Liv. V. 51. 5. *Intuemini horum deinceps annorum vel secundas res vel adversas, invenietis, omnia prospere evenisse sequentibus deos, adversa spernentibus.* Cic. Tusc. disp. I. 13. 30. *Tolle hanc opinionem, luctum sustuleris.* Cic. de or. II. 30. 132. *Hoc tolle, causa non erit.* Cf. praeterea Cic. pro Sull. 2. 5. Denique locus memoratu dignus est apud Cic. Brut. 86. 295, ex quo intelligitur, posse fieri, ut apodosis coniunctivo potenciali, quem vocant, efferatur. Sed videamus ipsum locum: *Remove haec; nae ista dulcis oratio ita sit abiecta, ut eam adspicere nemo velit.* Ne et quidem scriptores posteriores in apodosi ponere dubitavisse, iam pridem Nägelsbachins*) demonstravit.

Excrescere. Non est dubium, quin hoc verbum ad homines referre liceat. Cf. Tac. Germ. 20. *In omni domo nudi ac sordidi in hos artus, in haec corpora, quae miramur, excrescunt.*

E. Licere scribere: Centum anni sunt, cum Aemilius dictatur fuit, Cic. de off. II. 21 75. et Liv. IX. 33. XXXIX. 56. testes sunt. Sed nihil necesse esse ita scribere, intelligitur ex Liv. IV. 34. . . . *cum centesimus iam annus sit ab Mam. Aemilio dictatore.*

Esse. Non osse dubium, quin recte scribatur: mihi est aliquid magis curae, ex Liv. IV. 21. perspicitur, ubi haec: *Magis vis morbi ingravescens curae erat.* Similiter haec dicta sunt: *Maxime in culpa esse* (Cic. in Verr. V. 8. 20.), *diligenter rationem habere* (Cic. de imp. Cn. Pomp. 7. 17.), *magis rationem habere* (Cic. de off. I. 33. 4.), *acriter impetum facere* (Caes. b. g. I. 52. 2.), *acriter proelio conflagere* (Caes. b. g. V. 15 1.), *maxime laudibus celebrare.* (Liv. IX. 17. 6.), *continenter bella gerere* (Caes. b. g. I. 4).

Exponere. Exponere milites in terram vel in terra scribere licere multi Livii loci argumento sunt. Cf. Liv. XXI. 60. *Exposito ibi exercitu.* XXII. 22. *Ibi milite exposito.* XXIV. 40. 9. *Expositis in terram militibus.* XXIII. 40. 8. *Copiis in terram expositis.* XXIV. 35. 3. *Himilco ad Heracleam . . . exposuit.* XXIV. 36. 4. *Legionem primam Panormi exposuere.* De Caesar nihil affirmaverim; libri enim manu scripti variant. Cf. Caes. b. c. I. 31 et III. 23. ibique interpret.

F. Fere. Hoc vocabulum collocari oportere post ea vocabula, in quibus insit vis negandi, Krebsius ait. Sed audiamus ipsum Ciceronem. Cic. de or. I. 25. 116. *Adest enim fere nemo, quin . . .*

H. Habitare. In oratione soluta non scribi: habitare aliquem locum, falso. Krebsius confirmat. Cf. Tac. Agric. 11. *Rutilae Caledoniam habitantium comae.* Tac. l. c. . . . *eaque sedes habitasse.*

I. Intrare. Hoc verbum, ut Krebsio videtur, cum proprie dicitur, accusativo iungendum est; Sed videamus de Caesare, Livio, Cicerone. Caesar (b. g. VII. 8.) haec: --- *quod intrare intra praesidia periculosum putabat;* Livius (VI. 2.) --- *na qua intrare ad munimentia hostis posset;* Cicero (Tusc. disp. I. 24. 57.) --- *nisi animus, antequam in corpus intravisset, in cognitione rerum vigeret.*

Impedire. Miror, Krebsio non placere scribi: aliquem impedire in aliqua re

*) Nägelsbach Lat. Stil. pg. 560. ed. II.

Caesari quidem placuit. Cf. Caes. b. g. I. 36. 2. *Non oportere, se . . . in suo iure impediri.*

Ingressi. Hoc verbum ipse Cicero cum infinitivo coniungere non dubitavit. Cf. Cic. de div. II. 1. 3. . . . *ingressi sumus scribere.*

Ingenium. Hoc vocabulum etiam singulariter dictum ad homines referri, ex Cic. Brut. 40. 147 intelligitur. Ibi haec Cicero: *Cepi voluptatem, tam ornatum virum tamque excellens ingenium fuisse in nostra civitate.* Cic. de rep. II. 1. *Nam neque ullum ingenium tantum exstitisse dicebat, ut quem nulla res fugeret, quisquam aliquando fuisset . . .* Cf. Liv. XXI. 4. 3.

Indigere. Hoc verbum cum ablativo coniunxit et Caesar (b. c. II. 35. 4.) et Cicero (tusc. disp. I. 36. 88.) et Livius (II. 34. 3.) Contra vocabulum egendi cum genetivo et Cicero (Brut. 76. 263.) coniunxit et Livius. (III. 28. 10. III. 52. 9.)

Inter. Hanc praepositionem Superlativo male iungi, Krebsius qua ratione adductus praeceperit, non video. Cf. Caes. de b. g. II. 4. 4. II. 4. 6. II. 6. 3. Cic. pro Rose. Am. 6. 16.

Neque dubito, quin liceat scribere intra decem annos eadem vi; qua aut inter decem annos aut decem annis Krebsius scribi vult. Cf. Liv. IX. 34. *Tenuit Aemilia lex deinceps omnes censores intra centum annorum spatium.*

Is. Raro scribi: (et) inter eos, in iis, ex iis, sed longe saepissime: inter quos, in quibus, ex quibus Krebsius affirmat. Sed id longe aliter est. Caesar quidem, nisi fallor, semper: inter eos, in iis, ex iis scripsit. Cf. Caes. b. g. I. 16. 2. I. 29. 2. I. 53. 3. II. 25. 1. V. 4. 2. VII. 3. 1. Caes. b. c. I. 15. 5. I. 46. 4. III. 4. 5. III. 19. 4.

Interfactor. Huic vocabulo genetivum addi, Krebsio placuit. Sed ita scribere non esse necesse, Livius (XXIV. 7. 7. XXIV. 24. 7.) auctor est.

L. Logodaedalus. Justo iure hoc vocabulum Krebsio improbat. Sed propius, quam artifex verborum (Cic. Brut. 25. 95.), ad vim naturamque vocabuli graeci accedere videtur architectus verborum. Cf. Cic. Brut. 31. 118.

Longe. Hoc verbum saepissime ad tempus refertur. Cf. Caes. b. g. IV. 1. 4. *Nec longius anno remanere uno in loco incolendi causa licet.* Caes. l. c. VII. 71. 1. *Se dierum triginta habere frumentum, sed paullo etiam longius tolerare posse parcendo.* Caes. l. c. VII. 9. *Daturum se operam, ne longius triduo ab castris absit.* Liv. XXII. 61. *Morantibus deinde longius omnium spe alios tres insuper legatos venisse.* Sall. Cat. 29. *Ancipiti malo permotus, quod neque urbem ab insidiis privato consilio longius tueri poterat, neque . . . rem ad Senatum refert.*

M. Mater. Hoc vocabulum nisi raro non scribi per translationem, Krebsius affirmat. In quo vehementer errat. Cf. Cic. Brut. 93. 322. *Philosophia, mater omnium benefactorum beneque dictorum.* Cic. tusc. disp. I. 26. 64. *Philosophia, omnium mater artium.* Cic. de or. II. 40. 171. *Avaritiam si tollere vultis, mater eius est tollenda, luxuries.*

Materia. Ipse Cicero hoc vocabulo ita usus est, ut idem esset, ac res vel locus, de quo disputatur. Itaque non est audiendus Krebsius, qui dicit contra. Cf. Cic. de div. II. 4. s. f. *Nam aut omnium rerum debet esse divinatio, aut aliqua ei danda est materia, in qua versari possit; sed nec omnium divinatio est, ut ratio docuit, nec*

locus nec materia invenitur, cui divinationem praeficere possimus. Cf. Cic. de off. I. 5. 16. de or. I. 12. 49.

Modus. Nihil esse necesse scribere mirum in modum, sed licere scribere; miro modo, Ciceronis et Livii locis confirmatur. Cf. Liv. I. 57. *Suam quisque laudare miris modis* Liv. II. 32. *Is, intromissus in castra, prisco illo dicendi et horrido modo ... narasse fertur.* Cic. in Verr. II. 3. *Hunc denique ipsum pertulissent, si humano modo peccavisset.*

Meritum. Solere scribi meritum in vel erga aliquem, rectissime praecepit Krebsius, sed Livius non est veritus scribere XXXIX. 13: *Tandem confirmata, multum in eiusata perfidia Aebutii, qui optimi in eo ipso meriti talem gratiam retulisset, magnum sibi metum deorum ... dixit esse.*

N. Nescire. Jam pridem Allgayerus multis locis allatis demonstravit, non semper locutiones nescio, quo modo-nescio, quo pacto-[nescio, quo fato (Liv. III. 19. s. f.)] post indicativum collocari. In ipso enim enunciationis initio collocantur; usque eo erravit Krebsius. Cf. Cic. de div. I. 26. in. *Sed quid ego Graecorum? Nescio, quo modo me magis nostra delectant.* Cf. Cic. Brut. 21. 82.

Numerare. Non est dubium, quin huic verbo optimi latinitatis auctores praepositionem inter coniunxerint. Cf. Cic. pro Rose. Am. 6. 16. *Etenim rectum putabat, pro eorum honestate se pugnare, propter quos ipse honestissimus inter suos numerabatur* Cic. I. c. 39. 113. *Is inter honestos homines atque adeo inter vivos numerabitur?* Liv. III. 35. *Nescires, utrum inter decemviros, an inter candidatos numerares.* Denique tenendum est, licere Cicerone auctore hoc verbum duobus nominativis coniungere. Cf. Cic. pro Rose. Am. 13. 38. *In hoc tanto, tam atroci, tam singulari maleficio, quod ita raro existit, ut, si quando auditum est, portentis atque prodigii simile numeretur, quibus tandem argumentis accusatorem censes uti oportere?*

Nunc. Nunc et hic ita saepe solere scribi, ut ad tempus praeteritum referantur, Livius et Caesar testes sunt. Livii illud nunc — nunc milies repetitum quis non meminerit? Cf. Liv. XXI. 35. 9. ibique Fabrium. XXII. 22. 11. Sed ne Caesar quidem similiter hic et nunc scribere dubitavit. Cf. Caes. b. g. VI. 35. *Hic quantum in bello fortuna possit (posset??) ... cognosci potuit.* Caes. l. c. VI. 39. *Hic vero nulla munitio est, quae perterritos recipiat.* Quamquam hoc loco hic facile patimur scriptum esse propter praesens historicum est Caes. l. c. VI. 40. *At ii, qui in iugo constiterant, nullo etiam nunc usu militari percepto, neque in eo ...* Caes. l. c. VII. 62. *Incerto nunc etiam exitu victoriae ... signa intulerunt.* Caes. b. c. III. 27. *Hic subitam commutationem fortunae videre licuit.* Caes. l. c. III. 28. *Hic cognosci licuit, quantum esset hominibus praesidii in animi firmitudine.* Sed longum et prope infinitum est, omnes locos describere; in praesentia satis habemus, paucos indicare. Cf. Caes. b. g. I. 31. bis. I. 44. IV. 8. IV. 11. IV. 19. Caes. b. c. I. 84. I. 85. ter. III. 10. Vel adhuc Livius de tempore praeterito scripsit. Cf. Liv. XXI. 48. 4. ibique Fabrium. VIII. 31. 4.

O. Optare. Suo profecto iure contra Krebsium, qui male scribi censet: optare alicui aliquid disputavit Allgayerus,**) sed errat, cum addat, hanc locutionem nisi ad rem malam minimeque optabilem non referri. Cf. Cic. Brut. 97. 331. *Tibi optamus*

*) Bemerkungen zu Krebs Antib. Ehingen 1841. **) Allgayer l. c.

eam rempublicam, in qua duorum generum amplissimorum renovare memoriam atque augere possis. Praeterea rectissime scripseris; optare aliquid. Cf. Cic. tusc. disp. I. 49. 117. . . . ut homines mortem vel optare incipiant vel certe timere desinant, Cic. de off. I. 24. 83. Quare in tranquillo tempestatem adversam optare dementis est. Liv. VIII. 4. Atqui si quando unquam consociandi imperii, usurpandae libertatis tempus optastis, en hoc tempus adest. Cf. Sall. Cat. 20. Hoc loco animadvertendum est, saepissime scribi: optare a dis immortalibus, ut . . . Cf. Cic. in Cat. II. 7. 15. III. 2. 4. de nat. deor. I. 44. 122. de imp. Cn. Pomp. 16. 48. Liv. XXI. 43. 5. XXVIII. 39. med. Denique et infinitivum et accusativum cum infinitivo huic verbo addi, his locis Livii et Ciceronis confirmatur. Cf. Liv. IX. 14. s. f. . . . hostes perdere prius quam perire optantes . . . Liv. XXI. 42. Cum ad unum omnes ferrum pugnamque poscerent et delecta in id sors esset, se quisque eum optabat, quem fortuna in id certamen legeret. Cic. de or. I. 19. 87. . . . ut talis, qualem se esse optaret, videretur.

Occasio. Cur Krebsius occasione et per occasionem scribi nolit, non intelligo. Livii quidem annales habent illas locutiones millies. Cf. Liv. I. 5. *Rem nisi per occasionem aperire noluerat.* Cf. praeterea I. 11. V. 26. s. f. XXI. 8. XXI. 35. III. 49. XXII. 15. XXX. 3. s. f. Sall. Cat. 51. 6.

Obtruncare. Hoc verbum priscum dicit Krebsius, et ne a Livio quidem nisi raro scriptum. Priscum esse concedo, sed apud Livium aio esse frequentissimum. Cf. I. 5. I. 10. II. 8. II. 12. IV. 33. IV. 46. IV. 14. V. 16. VII. 33. VIII. 24. X. 38. XXII. 2. XXII. 6. XXIII. 35. XXV. 29.

Occumbere. Occumbere mortem sine ulla varietate omnes libri manu scripti duobus Livii locis habent. Cf. Liv. II. 7. 8 et III. 50. 8.

P. Praebere. Se praebere severum in aliquem ipse Cicero scripsit. Cf. Cic. in Cat. IV. 6. 12. *Idcirco in eos, qui ea perficere voluerunt, me severum vehementemque praebere.*

Pax. In pace vivere est apud Ciceronem. Cf. Cic. de off. I. 11. 35. *Suscipienda bella sunt, ut in pace sine iniuria vivatur.*

Postquam. Hoc verbo nisi raro Ciceronem usum non esse, Krebsius adseverat. Allgayerus l. c. iam pridem dixit contra. Est autem hoc verbum proprium generis historici, ex quo intelligitur, id alienum esse a quieto disputandi genere. In orationibus et historiis, quae sunt apud Ciceronem, hoc vocabulo Cicero non abstinuit. In quarto Accusationis in Verrem libro his locis invenitur: IV. 19. 42—20. 44—24. 54—27. 61—27. 63—62. 139—65. 145—66. 149. His locis, si placet, adde: de div. I. 15. I. 39. I. 54. II. 32. II. 57. Brut. 3. 10. de off. II. 1. 4. de or. I. 4. 14. I. 41. 186. de imp. Cn. Pomp. IX. 23. 25.

Pectus. Vocabulum pectoris eadem nonnunquam vi esse ac verbum animi, ex multis Livii locis facile perspicitur. Cf. Liv. IX. 3. *Vivet semper in pectoribus illorum, quidquid istuc praesens necessitas inusserit.* Cf. Liv. I. 21. in I. 59. bis. I. 56. II. 45. X. 31. XXI. 30, Tacit. Germ. 22.

Persona. Personam gerere est apud Cic. de off. I. 32. 115. et I. 34. 124. Quid est igitur, cur non scribatur?

Pars. Male scribi: stare a partibus alicuius, suo Krebsius iure contendit; sed optime latine dixeris: esse in parte alicuius vel: esse partis alicuius vel: partium alicuius factum esse. Cf. Liv. XXXI. 31. XXIV. 1. XXIV. 35.

Plerusque. Wüstemanno auctore usus Krebsius monet, ne scribatur: plerique hominum, sed plerique homines. Sed Cf. Liv. praef. 4. III. 6. s. f. V. 6. med. V. 15. IX. 45. s. f. IX. 46. s. f. XXI. 61. in. Hi omnes loci adversantur praecepto a Wüstemanno dato.

Q. Que. In hoc vocabulo parum recte Krebsius praecepit, ne ita cum praepositionibus et adverbis coniungeretur, ut unum vocabulum fieret ex duobus. Optimi latinitatis auctores saepe scribere soliti sunt

1. exque. Cf. Cic. de off. I. 20. 61. I. 34. 122. II. 23. 80. Caes. b. g. VII. 45. 1. b. c. III. 108. 1. Liv. XXI. 46. 3.

2. deque. Cf. Cic. Brut. 8. 31. Brut. 80. 277. Cic. de nat. deor. I. 1. 2. de or. I. 7. 26. de div. I. 2. 9. pro Rose. Am. 21. 58. de div. II. 20. Liv. X. 24. 11. XXIII. 11. 3. XXVI. 28. in. XXXI. 5. in. XXXVIII. 35. s. f. XXXX. 42. s. f. XXXXII. 62. s. f.

3. proque. Cf. Cic. pro Rose. Am. 51. 148. pro Arch. 11. 28. Liv. IV. 26. 9. VI. 26. 5. XXII. 59. 16. XXIX. 23. s. f. XXX. 18. in.

4. inque. Cf. Caes. b. g. V. 36. 1. b. c. II. 9. 7. II. 10. 2. Cic. in Verr. IV. 51. 115. de or. I. 28. 126. pro Rose. Am. 39. 114. Liv. X. 37. s. f. XXXX. 57. med.

5. perque. Cf. Liv. I. 49. 4. I. 49. 9. III. 6. 7. V. 36. 7. XXI. 11. 9. XXI. 14. 2. XXI. 49. 8. XXIII. 14. s. f.

6. transque. Cf. Liv. XXII. 41. 7. XXII. 43. 7.

7. interque. Cf. Liv. II. 20. 8. V. 49. 7.

8. cumque. Cf. Cic. in Cat. I. 13. 33.

9. postque. Cf. Liv. XXXXI. 9. 5. f.

10. tamque. Cf. Cic. Brut. 40. 147. Cic. de or. I. 8. 31. et I. 10. 44. de off. I. 21. 68. III. 4. 17. de nat. deor. I. 4. 7. de imp. Cn. Pomp. 16. 46. pro Rose. Am. 4. 8. pro Mil. 27. 72.

Quamvis. Falli videtur Krebsius in eo, quod monet, ne vocabulum quamvis coniungatur eius generis vocabulis, quae comparative dici non possint. Ita videtur effici ut nisi adiectivis adverbisque non iungatur. Sed non est ita. Vis enim et natura eius vocabuli latius patet. Cf. Cic. de off. I. 11. 35. *Ii, qui armis positis ad imperatorum fidem confugient, quamvis murum aries percusserit, recipiendi.* Cic. tusc. disp. I. 28. 70. *Sic mentem hominis, quamvis eam non videas, ut deum non vides, tamen . . .* Cf. Cic. de off. I. 18. 60. I. 22. 75. I. 30. 105. III. 19. 78. in Verr. V. 65. 168.

Quaeso. Non solum accusativum deos huic verbo addi, intelligitur ex Liv. IX. 9. *Vos quaeso consules . . . in me primum . . . quaestiones exerceatis.* Neque semper post imperativum collocari, ut Klotzio placuit, ipse Cicero testis est. Cf. Cic. in Verr. IV. 46. 102. *Nunc eadem illa quaeso audite et diligenter attendite.* Cic. in Verr. Act. I. 6. 16. pro Rose. Am. 9. 25.

Qui. Pronomini relativo, cum habeat vim adversativam, non quamlibet coniunctionem adversativam addere licere, recte Krebsius praecepit. Sed duo hoc loco animadvertenda videntur esse. Primum igitur tenendum est, in ipso pronomine relativo posse inesse vim adversativam. Cf. Nägelsbach Lat. Stil. § 190. 2. Deinde non solum coniunctiones sed vel tamen, sed etiam, id quod Krebsium fugit, coniunctionem verum pronomini relativo ad augendam vim adversativam addere licet. Cf. Cic. Brut. 69. 244.

Volo autem hoc perspicere, omnibus conquisitis, qui in multitudine dicere ausi sint, memoria quidem dignos perpaucos, verum qui omnino nomen habuerint, non ita multos fuisse.

R. Remittere. Hoc vocabulum ab optimis latinitatis auctoribus intransitive offerri nonnullis locis confirmare nobis placuit. Cf. Cic. Brut. 34. 130 ... *cum remisserant dolores pedum* ... Caes. b. c. III. 26. ... *si forte ventus remisisset.* Liv. III. 28. *Hic instabat nova pugna; illa nihil remiserat prior.* Liv. II. 34. XXXX. 33.

Redolere. Hoc vocabulo Ciceronem nisi per iocum usum non esse, Krebsius contendit. Sed Cf. Cic. Brut. 21. 82. *Sed nescio quo modo huius ... exiliores orationes sunt et redolentes magis antiquitatem, quam aut Laelii aut Scipionis.* ...

Regredi. Hoc verbum eadem vi, qua verbum redeundi est apud Liv. XXIV. 18. 5. et V. 41. in.

Referre. Num recte scribatur ad consilium referre, non satis liquet. Cornelius Nepos, quem auctorem non laudaveris, scripsit (Eum. 12), Caesar, quod sciam, nunquam non scripsit: **de** ferre ad consilium, ut b. g. III. 23. s. f. V. 28. 2.

Recusare. Huic verbo saepissime accusativus additur. Cf. Caes. b. g. I. 44. V. 41. VII. 2. b. c. I. 68. Cic. tusc. disp. I. 2.

S. Scire. Non scire Ciceroni*) quidem quiddam barbarum habere videtur; at vero Caesar (b. g. I. 44. 8.) scribere nihil veritus est.

Sequens. Cur Zumptio improbetur locutio: sequente anno, non video, est enim apud Liv. III. 31. *Hi sequente anno legem omnibus concionibus suis celebrant.* Idem XXIII. 36. 7: *Sequenti die Cumas redit.* Consequente anno est apud Cic. Brut. 89. 305.

Sedes. Krebsius contendit, a populo sedes, non sedem quaeri. Sed audiamus Livium. Is X. 10. haec: *Militaturos tamen se, sed nulla alia mercede, quam ut tandem certa aliqua sede consistant.* Idem XXXIX. 54. haec: *Introduci in senatum exposuerunt, se superante in Gallia multitudine ad quaerendam sedem Alpes transgressos.* I. 1. 8. *Multitudinem Troianos esse, ducem Aeneam; cremata patria domo profugos sedem quaerere.*

Sperare. Sine dubio rectissime scribitur: sperare aliquid; saepissime et Caesar et Livius scripsit: sperare aliquid ab aliquo. Cf. b. c. III. 96. s. f. Pompeius navem conscendit, saepe, ut dicebatur, querens, tantam opinionem se fessisse, ut, a quo genere hominum victoriam sperasset, ab eo paene proditus videretur. Caes. b. g. V. 41. *Errare eos, si quidquam ab his praesidii sperent, qui suis rebus diffidant.* Liv. II. 49. *Iubent, consulatus inde et triumphos, omnia praemia ab se, omnes honores sperare.* Cf. Liv. I. 49. 5. XXI. 13. 3. XXI. 30. s. f.

Sacrificare. Recte Krebsius huic verbo non addi accusativum censet; at vero ablativus additur. Cf. Liv. XXII. 1. s. f. *Decretum est ... Iunoni Sospitae Lanuvii maioribus hostiis sacrificaretur.* Idem l. c.: *Decemviri Ardeae maioribus hostiis sacrificarunt.*

Supplicium. Bene latine scribi: supplicium sumere **ex** aliquo Liv. XXIII. 3 in. testis est.

*) Cf. Cic. Orat. 47. 157.

